

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially obscured by the binding.



20. / 17  
1768, 1

SPECIMEN JURIS VNIVERSALIS PRIVATI  
DE  
OFFICIIS LAESI  
CIRCA INIURIAS  
OBSERVANDIS

---

QVOD  
P R Æ S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE,  
DANIEL GRALATH, D.  
JVRIS UTR. ET HIST. PROF. PUBL. NEC NON  
ATHEN. INSPECTORE VIGILANTISSIMO  
IN AVDITORIO MAXIMO  
DIE V. MAJI. A. R. S. MDCCLXVIII.  
PUBLICE DEFENDET  
JONATHAN FRIDERICVS HELLER,  
ADVERSVS  
OPPONENTES JURIS CVLTORES  
NATHAN. CONSTANTINVM SENDEL,  
JOHANNEM WILHELMVM WERNSDORFF,  
ET  
JOHANNEM JACOBVM HEVELKE.

---

GEDANI,  
TYPIS SCHREIBERIANIS.

90,

2

SPECIMEN PAPE VNIuersitatis TRIVATI

OFFICIIS LAESTI  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI

DE RE LIBRARIIS  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI

DANIEL GRILLATIUS  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI

MAXIMO  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI

MATTHIAS TRIVATIUS  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI

JOHANNES TRIVATIUS  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI

FRANCIS TRIVATIUS  
CIRCA LIBRARIAS  
OBERAMUNDI



INCLYTÆ  
REIPUBLICÆ GEDANENSIS  
MAGNIFICO SENATVI

ILLVSTRI  
PERMAGNIFICIS, MAGNIFICIS, GENEROSIS  
MAXIMEQVE STRENVIS

S. R. M. BVRGGRABIO

PRÆSIDI  
PRO-PRÆSIDI  
PRÆ - CONSVLIBVS  
CONSVLIBVS  
SYNDICO.

PRÆNOBILISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS  
SPLENDIDISSIMI

VTRIVSQVE CIVITATIS  
SCABINATVS MEMBRIS  
SENIORIBVS  
CON - SENIORIBVS  
ASSESSORIBVSQVE  
CAETERIS

JVSTITIÆ ARBITRIS GRAVISSIMIS.

VIRIS

VIRIS  
SUMME REVERENDO,  
CONSULTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS, AMPLISSIMIS  
PROFESSORVM COLLEGII  
MEMBRIS  
PRAECEPTORIBVS SVIS HONORATISSIMIS  
FACTORIBVS  
TANDEM, AC AMPLIFICATORIBVS OMNIBVS

HOC MV SARVM SVARVM SPECIMEN  
PIA MENTE, ET SVBMISSO ANI-  
MI CVLTV OFFERT, DICATQVE  
AVCTOR

JONATHAN FRIDERICVS HELLER.



§. I.

*De occasione & fine scribendi.*



oigantanti mihi de specimine quodam publico exhibendo, & utilitatis, & virum in eligendo themate rationem habendam esse duxi. Sunt enim, qui, nescio quo errore capti, non, nisi magna & gravia, & quæ ipsorum vires longe superant, sibi tribuere solent; quibus contingit tandem, quod ex fabula Icaro evenisse legimus. Satius itaque duxi, prudens illud Horatianum consilium sequi:

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam  
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri.*

Quum autem non ad ostentationem doctrinæ, verum ad communem potius utilitatem respiciendum esse judico; in tot, tantisque rebus, quæ sese offerebant, utilibus, ad injurias illatas mentem convertere, &, quæ circa eas officia lex naturæ civibus inter se invicem injungat, æqua lance ponderare animus est.

A

§. II.



## §. II.

*Quotuplex sit vocabulum injuriæ?*

Ante vero, quam ad finem propositum accedam, ordo requirere videtur, ut principia quædam de injuriis generalia, & quid injuriæ nomine veniat, exponam. Tanta enim ambiguitate vox illa laborat, ut delectum facere accuratum, & quænam significatio præferenda sit, judicatu certe difficile videatur. Inconstantiam vocis vel ex ipsis auctoribus, qui & ingenio, & eruditionis laude inclaruerunt, facile possum probare. Dicitur a Celeber. *Thomasio Jurispr. div. Lib. I. cap. I. §. 151.* injuria omnis actio injusta, adeoque ea, quam quis sibi inferri patitur. Alias injuriæ significationes tradit idem celeb. autor §. seq. „Injuriæ vox vel latissime sumitur pro eo, quod non jure fit, etiam ab iis, qui intentionem lædendi non habent; vel late, pro denegatione juris cuiuscunque tam perfecti, quam imperfecti; vel stricte pro denegatione juris tantum perfecti; vel strictissime pro contumelia.„ Celeb. *Puffendorffius §. XV. Cap. II. Lib. I. de Offic. H. & C.* actionem injustam, quæ destinato ex consilio suscipitur, & per quam violatur, quod alteri perfecto jure debetur, aut quod tali jure undecunque partum is possidebat, proprie vocat injuriam. Cum quo consentit illustr. *Wolffius §. 859. P. I. Jur. N.* qui, injuria, inquit, generaliter est actio quæcunque, quæ est contra jus perfectum alterius. *Ulpianus libr. I. de injur. & fam. libel.* injuriam generaliter definit per id, quod non jure fit; in specie autem eam in contumelia, culpa, iniquitate, & injustitia ponit Celeb. *Achenwalus Jur. N. P. I. §. 103.* injuriæ strictissime sic dictæ adscribit læsionem dolosam existimationis alterius. In genere injuriam eandem habet, ac læsionem, seu actionem injustam, id est, in foro externo illicitam §. 52 *lib. cit. Celeb. ausem Daviesio* hæc vox strictissimo sensu sumpta falliloquium videtur dolosum, quo forma alterius violatur. *vid. institut. ejus F. N. univers. §. 382.*

§. III.



## §. III.

*Quæ hoc loco significatio injuriæ tribuatur?*

Quoniam vero, si laxiorem significatum prosequi vellem, non nisi trita, & ubivis obvia deberem producere; si vero angustiore illam significationem præferendam esse judicarem, tam arctis, & circumcis tenerer limitibus, ut multa, quæ sunt utilia, essent silentio prætereunda; apud animum constitui meum, illam illustr. *Wolffii*, quam § 874 P. I. *J. N.* de injuriis speciatim tradit, definitionem sequi. Atque ille, læsionem existimationis, seu honoris, & famæ alterius, quomodocumque factam, injuriam esse, adfirmat. Quamobrem, cum læsio in actione injusta ponitur § II non inique etiam injuria definiretur per actionem injustam, quæ contra existimationem alterius committitur. Hinc concludo, eum, qui injuriam accipit, vel nominandum, vel verbis, sive signis sufficienter describendum esse a lædente, quum alias existimatio ejus in discrimen venire nequeat. Est alterius existimatio, judicium aliorum de ipsius perfectione §. 538. P. I. *J. N. illustr. Wolff.* quod actibus externis declaratum, honor audit, loco cit. fama vero bona in sermone aliorum communis de ejus perfectione vertitur §. 553. P. I. I. N. *Wolff.*; hinc per injuriam alteri illatam, aut negantur ejus perfectiones, defectu earum ipsi imputato; aut imperfectionum positivorum accusatur, quibus vel omnino laborat, vel quæ ab ipso maxime sunt alienæ.

## §. IV.

*De injuria verbali & reali.*

Quodsi porro ad actiones ipsas, quibus injuria perpetrantur, respiciamus, injuria committitur vel verbis, sive ore, sive calamo prolatis, vel aliis factis, quæ verbis non exprimuntur. Quam ob causam injuria in verbalem, & realem dividi solet, secundum *J. Rom.* distinctionem, qua *La-*

*beo usus l. I. de injur. & fam. libell.* „injuria, inquit, fit vel re, vel verbis,,. Jam vero non de modo injuriam inferendi agam, cum tantam varietatem excogitaverit perversa hominum natura, ut vix ac ne vix quidem accurate definiri queat; siquidem una injuria in multas variasque alias sese diffundat, nec, qui infert, de modo inferendi, sollicitus esse solet: sed ipsam naturam perferutabor, qua injuria verbalis & realis continetur. Quæ cum cognita sit *s. preced.*, utraque mihi triplex esse videtur. Etenim si quis verbis imputat alteri defectum perfectionis, vituperat. Si vitia, seu imperfectiones positivæ cui exprobrantur, cum conviciis incessum esse dicitur. Denique calumniis illum oneratum esse censent, qui per mendacium aut imperfectionum, aut defectus perfectionum quarundam accusatur. His adjici merentur libri isti, quos famulos dicunt, quorum finis est famam alterius violare. Etenim cum scriptis æque, ac ore prolatis verbis alterius existimationi, honori, ac laudi detrahi queat, non est, quod peculiare injuriarum genus constituam, quamvis sint, qui hanc ipsam sententiam defendunt. Quod autem ad reales attinet injurias, ex omnes contemptu, ignominiosis factis, & contumelia absolvuntur. Quoties igitur quis honore ac laude debita indignus declaratur factis, contemptui id adscribendum est. Cavendum vero, ne omissionem honoris ac laudis pro certis contemptus signis habeamus. Potest quidem hac ratione contentus significari; verum tamen actiones positivæ requiruntur, si certe de ipso constare debet. Et quemadmodum illi, quem honore dignum declaramus actibus externis, primas partes, quas sua virtus jure efflagitat, præ aliis deferimus; ita vicissim, cui debitus honor ac laus denegatur, externa ejusmodi observantiæ signa non tribuuntur ob defectum perfectionis. Si actibus autem externis significatur, alterum non virtutibus solum carere, verum etiam id ipsi imputandum, immo vitium eum maculatum esse, ignominia factis infertur. Actus denique, quibus alter publica ignominia

nia



nia dignus declaratur, contumeliam factam esse contestantur; e. g. si quis colaphis, virgulisve injusto modo excipitur, aut picturis atque statuis ad ignominiam suam compositis eluditur.

S. V.

*De gradibus injuriarum.*

Non autem ex quibusvis injuriis æquale existimationis periculum provenire, facile quisque concedet. Defectus enim perfectionis accusari levius esse ferendum, quam imperfectionum exprobrationem pati; contumeliæ majorem vim inesse, quam contentui & ignominiosis actibus, quis est, qui non agnoscit? ut taceam, vitia ipsa non ejusdem esse gradus moralitatis. Ex quo intelligitur, differre invicem gravitate actiones alterius existimationi obnoxias. Ad quod accedunt modi, quibus injuria accipitur; quales sunt illusio, explosio, cachinni, ironiæ malitiosæ, & quæ reliquæ. Quibus omnibus, ratione circumstantiarum habita, modo magis, modo minus eorum, qui adsunt, attentio excitatur, ut vel ignominiosis ejusmodi actibus delectentur, quin immo ad idem faciendum ex perversa hominum natura commoveantur. At ubi quis scriptis, picturis, statuisque ad injuriam inferendam utitur, perenne quasi stigma inurere, & infamiam macula vix abstergenda alterum polluere studet. Porro loci, & personæ, de cujus existimatione detrahitur, ratio præcipue est habenda. Perinde enim non esse, in circulo familiarium, ac in foro, & in conspectu populi existimationis pati læsionem, experientia contestatur. Quod vero ad personæ lætæ conditionem attinet, dubia sane res est, injuriarum gradus exinde dijudicare; sic potius arbitror, certa ac generalia præcepta vix ibi dari posse, moralitatemque læsionis obviente casu dimetiendam esse. Ponas enim virum cordatum, dignitate & virtutibus conspicuum, cujus existimatio omnibus latis superque commendata est: infertur ipsi injuria;

Mo

at certe par existimationis periculum non incurrit, ac si ejus perfectiones minus conspicuæ, & nomen ejus minus celebre forent. Non obstat itaque, quominus injurias personis ignotis, peregrinis, & haud claris illatas, quarum existimatio adeo firma non est, graviore esse asseverem illis, quas homo exploratæ virtutis, ferreæque existimationis patitur. Verum hæc omnia, ut supra monui, cum grano salis accipienda sunt, & imprimis cavendum, ne, secundum communem in dijudicando rationem, actiones contra decorum cum læsionibus existimationis confundamus. Denique ex periculo, quod ex læsione verendum est, injuriarum æstimatur atrocitas. Quodsi enim malevolis hominibus fidem habeant ii, a quorum arbitrio salus nostra pendet, haud raro fit, ut ab omni aditu ad fortunam stabilendam prohibeamur.

## §. VI.

*De injuria culposa & dolosa.*

Quicumque autem injuriam infert, aut considerate, & consulto agit, aut ex inconsiderantia, errore, & ignorantia quadam, quam evitare potuisset, in alterius existimationem offendit. Hoc culpæ, illud dolo ipsi verti meretur. Non obstant leges civiles positivæ, ut & Rom. quominus culpa injuriam fieri posse adfirmem. Illæ quidem l. 3. ff. de injur. & fam. lib. ad injurias requirunt dolum, quippe quæ ad instar delicti privati, quod ex dolo dijudicatur, puniendæ in foro veniunt; legis tamen naturæ tantus est rigor, ut ne culpa quidem proferre liceat verba, vel committere actiones, quibus existimatio alterius in discrimen ducitur.

## §. VII.

*De injuriarum imputatione.*

Cum penes illum, qui culpa aut dolo agit, omnino fuisset, factum omittere; libere illum agere, secundum principia



cipia psychologica statuimus. Quum etiam ipsius actionem existimationis amittendæ periculum sequatur; non potest non fieri, ut injuria ipsi imputetur. Contra vero ab imputatione omnino absolvuntur, qui cum rationis usu destituantur, libertate agendi non gaudent. Huc non furiosos, & mente captos solum, verum eos quoque referre fas est, qui somno sepulti injuriantur, vel justis affectibus abrepti in summo fervore injurias indeliberatas proferunt. At si vigilantes interrogati non revocant, & furiosi menteque capti in intervallis, ut ajunt, lucidis ignominia afficiunt, & affectibus distracti extincto eorum fervore, poenitentiam inde perceptam haud commonstrant, ab imputatione non vacare censentur.

§. VIII.

*Omnis injuria est contra jus perfectum alterius.*

Quoniam autem per essentiam atque naturam nostram obligamur, existimationem, famamque nostram, quantum possumus, sanctam rectamque servare, quippe qua status noster externus augetur; necesse est, ut hanc obligationem pro viribus nostris expleamus. Si quis itaque impedire audet, quominus hanc præstemus; jus nobis esse debet, illum cogendi, ne id faciat. Hoc jus autem dicitur perfectum. Contra vero cum alter alteri id debeat, quod salvis officiis erga se præstare potest, alterius tenetur existimationem incolumem servare, nec quidpiam agere, quo illius violatio sibi imputari queat. Et quoniam ad hanc obligationem vi potest a læso adigi, ea perfecta appellatur. Quamobrem intelligitur, lædentem obligatione illa neglecta, actionem injustam committere, hoc est, in jus, quod læso perfecte competit, impingere. Sed cum lex naturæ non nisi actiones liberas determinet, ad easque obliget; nemo hominum, qui facultate illa libere agendi caret §. præc., obligatur alterius existimationem intactam

56,



ſtam relinquere, nec alteri adverſus hunc competit juſ perfectum.

§. IX.

*Læſo competit juſ defendendi exiſtimationem & famam, amiſſam vero reparandi.*

At enim vero cum quilibet exiſtimationem ſuam ſervare debeat §. præc. opus eſt, ut omne ſtudioſum omnemque operam adhibeat, prohibendi, quominus, injuria ſibi illata, exiſtimatione ſuamque ſua capiat detrimentum. Hoc vero dum facit, ſeſe defendit; quivis ergo ad defendendam exiſtimationem ſuamque obligatur. Nec abſque jure ſuo hoc facit, quia lex naturæ juſ dat ad eas actiones perficiendas, ad quas obligantur homines. Et cum verbis æque ac factis injuria oppugnari poteſt, deſenſio in verbalem ac realem dividi ſolet, quam læſus tum per ſe, tum per alios adhibere poteſt. Porro ex obligatione illa exiſtimationem ſervandi, juſ evincitur eam reparandi, aut ſaltem omne ſtudioſum impendendi, ut priſtina exiſtimatione, honore ac laude dignum ſe reddat, ſi ea a lædente ipſi fuerit deſtructa.

§. X.

*Læſo competit juſ puniendi lædentem.*

Hac tamen ratione nondum extra omne injuriarum periculum ponitur. Facile enim accidere poteſt, ut ſi quis ſe lædi pateretur, iterum iterumque vel ab eodem, vel ab aliis lædatur, qui famæ hoſtes eo audaciæ fortiter procedunt, ut & alios pari injuria laceſſant. Qua de re læſo competit juſ adigendi lædentem, ne in poſterum nec ipſum, nec alios lædat, & præcavendi, ne alii exemplum ejus ſecuti idem facere conentur. Quando autem hoc periculum averti nequit, niſi lædens quidpiam patiatur mali; & malum, ob factum injuſtum alteri illatum ab eo, qui juſ habet, pœna audit: homini



mini a natura competit jus puniendi lædentem. Atque ita finis pœnarum si objective spectetur, est unicus, ne scilicet læsioni in posterum locus sit. Si ad subjectum respexeris, duplex erit. Alter, ut molestiam sentiens in posterum sibi caveat lædens; alter, ut hujus exemplo edocti alii ab istius modi injuriis deterreantur. Ex eo pœnam in emendatricem, & exemplarem dividere posses. At quam puniri quis possit tum ab eo, quem læsit, tum ab illo, cui potestas a læso facta est; pœna mediata differt ab illa, quæ immediate sumitur.

§. XI.

*In civitate læso jus puniendi mediate competit.*

Hæc, quam dixi, differentia præcipue se exserit in statu civili, in quo, tradito vel uni, vel pluribus jurium natura communium exercitio, illud etiam jus puniendi restringitur, ut immediate exercere pœnam, nulli liceat singulorum civium. Quiescente igitur jure puniendi connato, nunc non læsus, sed superior reipublicæ punit; & loco belli, quod in statu mere naturali cum lædente geritur, læso jus competit, per actionem forenslem imperantis civilis implorandi auxilium, quo lædenti merita pœna infligatur.

§. XII.

*Dantur officia circa injurias.*

Quando quidem vero juribus adeo rigorosis adversus injurias munitus sit læsus §. IX. X. multum tamen abest, ut pro lubitu ea exerceat, quin potius ad eum, quem officia exigunt, obligatur usum. Officium est actio secundum leges determinanda; homo vero ad rectum juris usum obligatur. Hinc non est, cur dubitemus, eundem juris usum quoque ad officia pertinere. Jamjam præcipua oritur quæstio, quibusnam principiis officia ista superstructa sint, cum satis perspicuum  
B  
fit,



fit, eadem ex fonte illo promanare non posse, ex quo ipsum jus perfectum contra injurias concessum deducitur. Sane ridiculum foret, si modum jus coactionis exercendi ex ipsa coactione derivare, & justum juris perfecti exercitium per ipsum jus perfectum explicare vellem. Concedendum esset, læsiones repellendas fore aliis læsionibus, & secundum philosophiam plebis experimentalem, convicia conviciis, verbera verberibus, e. s. p. rejici ac retorqueri posse: quæ quidem omnia plane absurda, & a fine obtinendo longe aliena esse, nemo unquam in dubium vocabit. Quæ cum ita sint, unice confugiendum est ad leges illas naturales, quæ in foro divino, & in conscientia hominum justitiam actionum humanarum determinant. Secundum istas leges examinanda sunt officia circa exercitium juris perfecti observanda, & quod in specie attinet ad officia circa illatas injurias explenda, nihil obstat, quo minus pro norma eorum referam omnes virtutes morales ac intellectuales, quæ socialitatem respiciunt, quippe quibus in foro divino superstructæ esse debent omnes actiones, quæ nobis cum aliis hominibus intercedunt. Inter complures autem istiusmodi virtutes pro potioribus in hac quidem materia habendas esse censeo sapientiam, charitatem, patientiam, humilitatem, quibuscum officia circa injurias convenire debere luculentius infra exponam. Commodè autem officia hæc dispescuntur ea ratione, ut aliis teneatur læsus respectu ipsarum injuriarum, aliis adversus earum autores § IX.X. Atque de illis primo loco agam.

§. XIII.

*Quando se defendere liceat?*

Quum haud desint malevoli homines, qui ex aliorum obtreptionibus voluptatem capiunt, & injuriis vitæ socii illatis delectantur; sapientiæ, ad quam obligamur § præc., contrarium foret, si coram illis, vel adversus illos injuriatus sese defenderet. Dignum potius est homine, ut finem, quem defendendo intendit § IX. oculis habeat præfixum. Quem cum a viris & prudentia & sapientia præditis nancisci queat, a quibus laus & honor omne



omne suum pretium capit; apud hos se defendere consultum est, quoties verendum, ne sinistro de nobis sentiant. Cernitur autem hoc periculum, si vel a lædente, vel a læso, vel a re ipsa, quæ obicitur, rationes peti queant, quibus existimatio nostra in dubium vocari possit.

§. XIV.

*Quinam animus defendentis esse debeat?*

Defendentem ab omni animi acerbitate & vindicta alienum esse oportet, ne lædentis animum per ipsam defensionem offendendo, vindictæ cupiditati se tradat; nec odio morem gerat, voluptate ex infelicitate lædentis percepta: tantum abest, ut convicia conviciis, aut contumeliam contumeliis rependat, quibus arcenda ignominia potius augetur. Graviter infringunt leges de amore universalis, qui ad ignoscendum tardi, & ad vindictam proni, defensionem contra ejusmodi læsiones, in retorsione malorum collocant, & præterquam, quod a scopo aberrant, ipsi pacem, & unionem, quam præterevidentur, conturbant.

§. XV.

*Quinam modus in defendendo sit adhibendus.*

Ex his porro intelligitur, non utendum esse durioribus mediis, si leniora, immo lenissima sufficiant. Qui secus agit, excedit modum, quod fere nunquam, nisi odio & vindictæ cupidine fieri solet.

§. XVI.

*Quibusnam actionibus externis uti liceat in defensione?*

Cum autem defensionis media posita sint in verbis & factis §. IX. hæc apta esse debent ad finem consequendum. Ideo defectu perfectionis, aut imperfectionibus positivis, vel veris, vel falsis injuste cuiquam exprobratis §. III, contrarium ejus, quod obicitur, probare debet læsus, ut existimationis detrimentum avertat. Hoc assequitur factis, si experientiam contrariam adfert. Verbis vero, ostendendo falsitatem eorum, quæ protulit lædens, aut veritatem contrarii demonstrando, & fi-

510,

dem injuriantis labefactando, suspicionem vero ejus, quod objicitur, a se removendo.

§. XVII.

*Quando defensione reali & verbali opus sit?*

Per experientiam contrario probato, certissime vincitur lædens, fama que cum existimatione servatur quam maxime. Quam ob rem cum aptissimis mediis uti præcipiat sapientia; quoties occasio datur, aut mora est, aliquam nanciscendi, toties ad illam experientiam, in qua realis quidem cernitur defensio §. præc., læsus confugiat necesse est. Quod si ipsi non contingit, alterum defensionis genus acceleret, quod verbis continetur §. cit.

§. XVIII.

*Num contra calumniam manifestam opus sit defensione?*

Si calumnia facta sit manifesta, quæ videlicet notam fictæ imperfectionis in fronte gerit, nec a calumniatore, nec a læso peti queant rationes, cur fides eidem habeatur, nulla opus est defensione. Etenim semet ipsam refellentj, periculum non est, cur timeamus, ne viri boni & prudentes assentiantur. §. XIII. At vero, ne reali quidem defensione obtinebitur, quo minus cavillatores isti malevolos & perfrictæ frontis homines in partes suas trahant.

§. XIX.

*Contra calumnias speciosas, & non manifestas defensione opus est.*

Quoties calumnia rationes admittit, quæ aliquam veritatis speciem induunt, illa dicitur speciosa. Ubi in neutram contradictionis partem probabiles sunt rationes, quibus nimirum id, quod exprobratur, nec probabile, nec improbabile redditur; calumnia non manifesta nominatur. §. 1037. P. I. J. N. Wolff. Ejusmodi itaque calumniis prolatis, se defendere debet læsus, ut existimationem suam, quæ periclitatur §. XIII. factam tectamque conservet.

§. XX.

§. XX.

*Quando a calumniatoris persona desumi queant argumenta existimationem defendendi?*

Necessitas interdum, si factis contrariis opprobrii falsitas probari nequit §. XVII, nec rationes a re objecta, aut a læso desumptæ sufficiant ad reprimendam injuriam, permittit calumniatoris fidem labefactare, & aliorum suspensionem effugere, argumentis a calumniatoris persona ipsa desumptis. Lex enim naturæ præcipit, ut media defensionis leniora, immo lenissima durioribus præferantur. Quæ cum frustra adhibita sint, nec id quidem in dubium vocari possit, ad omnia læso jus competere, quæ tuendam existimationem adjuvant; modum omnino non excedit, qui durioribus mediis ulus a calumniatore ipso rationes adfert, quibus injuriam refellat.

§. XXI.

*Quale officium, si ex calumnia quacunq̃ue malum grave impendeat?*

Tanta vi & gravitate interdum esse calumniam, ut non de nuda solum existimatione, verum de salute quoque nostra agatur, tristi experientia satis superque edocemur. §. V. Cum itaque adversus calumnias speciosas & non manifestas existimationis servandæ gratia, defensionem adhibere obligemur §. XIX. manifesta vero, si nudæ existimationis habeatur ratio, eadem haud indigeat §. XVIII; accedente tamen periculo salutis nostræ, circa omne hoc calumniarum genus opus esse defensione, nemo dubitabit. Quantum enim in potestate nostra positum est, omnem lapidem movere tenemur, ut nobis a malis præcaveamus. Ne huic obligationi desimus, omnes vires ad calumniam reprimendam intendere fas est. Ac si quis nec per se, nec per alios hoc efficere queat, justum est, magistratus implorare auxilium, ut palam fiat innocentia læsi.

561



## §. XXII.

*Quando mediata opus sit defensione?*

Quamquam immediata defensio mediatae maxime praefenda sit, temporis tamen conditioni id tribuendum est, ut mediata immediatae anteponatur. Atque hoc contingit, quoties absenti injuria facta est, nec mora est laeso, quin semet ipsum coram aliis defendat, nec non sciat, se minus valere apud eos, quam hunc, quo ad tuendam existimationem suam utitur.

## §. XXIII.

*Si ex injuria reali non constat, qua de causa ledens egerit, defensione verbali opus est.*

Haud raro evenire solet, ut alter alterum ignominia, contemptu, aut contumelia afficiat, non declarata ratione, qua commotus eum laceffiverit. Cum vero nihilominus verenda sit imperfectionis laeso inhæsitura suspicio, si injuriam ejusmodi patienter ferret; ut huic subveniatur, opus est defensione, eaque verbali §. XVI. XVII.

## §. XXIV.

*Si idem factum sit a mente captis, & affectibus animi obtemperantibus, quid tunc fieri debeat?*

Quodsi cui acciderit, ut a levibus hominibus, aut furiosis, menteque captis, quibus adscribi possunt inebriati, & ira inflammati, ignominiosis factis exceptus fuerit, rationes cuilibet in promptu sunt, ab istis hominibus ipsis petita, quæ existimationis periculum tollunt, nec ulla adversus eos defensione opus esse videtur.

## §. XXV.

*Quid agi debeat, factis ignominiosis veris laeso objectis?*

Sæpissime facta exprobrantur, quæ a laeso improbe sunt commissa; quaeritur itaque, quid tunc agendum sit? Nulla certe defensione opus esse mihi videtur, si illa jam cognita atque perspecta ab iis fuerint, in quorum conspectu male facta objiciuntur. Quodsi autem nunc primum & ut res  
nova,

nova, & incognita plane innotescant, hoc læsi est officium, ut verbis sese defendat §. XVII, præsertim cum aut lædens validis argumentis fidem suam confirmet, aut ex vitæ, morumque genere læsi, non sine ratione possumus judicare, vera esse, quæ turpiter facta ipsi imputantur.

§. XXVI.

*Si facta, & vitiorum signa, quibus læsus indulget, obji-  
ciuntur, quale sit officium?*

Si autem facta enarret lædens, quibus vitia vera læsi pro-  
propalare vellet, omni opus est defensione, præsertim si fa-  
cile lædenti fidem alii tribuere possint. Ac si necessitas exigit,  
læsi que multum interest, ne lædens alios in partes suas trahat,  
fides ejus labefactanda est §. 1055 P. I. F. N. W. Namque  
in collisione officiorum erga semet ipsum, & erga alios, hæc  
vincuntur ab illis. Ne vero vitiorum partes tueri videar, probe  
perpendendum est, me de officiis civis erga civem loqui, in-  
ter quos, eo quidem respectu, quo pro nudo societatis vinculo  
considerantur, summa intercedit æqualitas, locumque habet  
libertas naturalis, cui repugnat sinistrum de aliorum actioni-  
bus judicium, verbis aut factis declaratum, quamdiu nihil fit  
contra jus alterius §. 854 P. I. F. N. W.

§. XXVII.

*Quid agendum in recuperanda amissa existimatione?*

Quodsi vero omne, ut ajunt, oleum & operam perdidit,  
qua injuriam a se removere sollicitus fuit, defendens; in  
eo circumspicte agere tenetur, ne in reparanda existimatione  
peccet, nec plus, vel minus, quam physice & moraliter fie-  
ri potest, suscipiat. Nihil fere frequentius est, quam anxie  
curare honorem, omnesque actiones componere eum in finem,  
ut illum rursus assequamur. Is vero cum pendeat a judicio  
aliorum §. III, quod viribus nostris nequitiam potest flecti,  
inde nec existimatio, nec laus, nec honor in potestate nostra  
constituta sunt. Homo non, nisi ad ea comparanda obligatur,  
quibus

56,



quibus se parem sentit; hinc lex naturæ nemini injungit existimationis, seu honoris ipsam affectationem, verum id potius præcipit, ut quisque se honore ac laude dignum exhibeat, eoque modo actiones suas componat, ut internum ad minimum applausum propria conscientia ipsi tribuat. Quoties itaque pravæ actiones existimationis & bonæ famæ maculam contraxerunt, hanc justis, ac bonis actionibus abstergere, necesse est.

§. XXVIII.

*Quando punire liceat?*

Deductis iis, quæ de officiis in defensione existimationis, ejusque reparatione pro scopo hujus speciminis sufficiant; quæ in jure puniendi absconduntur officia, utpote quæ respiciunt ipsos injuriarum autores § XII, pro viribus meis enucleabo. Occurrunt statim in limine, qui in hujus juris exercitio, poenam sumendo, ipsi poena dignos se reddunt. Mirifice enim falluntur, qui absque futuræ læsionis periculo, quod ex præterita impendet, puniendum esse arbitrantur. Est enim poena, si rem rite perpendimus, defensio prospiciens in futurum. Cessante hoc periculo, alium non habent finem, punientes, nisi malum quoddam alteri inferendi ob injuriam illatam. Ecquis est vero, cui non illico subolet vindictæ cupiditas, odium que subinde delitescens, quod non, ut supra monui §. XIV, a defensione solum, verum, ut ab omnibus hominum actionibus, ita quoque a poena arcendum esse, præcipit lex naturalis. Absit itaque, ut deficiente futuræ injuriæ periculo poena infligatur lædenti. Hoc contingit, si e. g. poenitentiam de data injuria declarat; si eandem revocat; si ab aliis exprobratus in terrorem conjicitur, & quæ reliquæ sunt causæ. Si itaque jus illud puniendi adhibetur, opus est, ut ex injuria illata verendum sit, ne læsus vel ab eodem, vel ab aliis lædentis similibus denuo injuriis profcindatur.

§. XXIX.



## §. XXIX.

*Quonam animo puniri debeat?*

Tantum igitur absit, ut malum, quo non potest non afficere puniendo lædentem, per se intendant læsus, ut illud potius averſari teneatur quam maxime, siquidem non malum, quatenus malum est, inferri vult lex natura, sed quatenus periculum instans absque eo neutiquam repelli potest. Quæ lex, si unumquemque obligat diligere alterum tanquam semetipsum, neutiquam excludi patitur eos, qui lædunt, ut potius puniendo, amore sint amplectendi. Nihil ergo habent, quod vituperent, ii, qui pœnam rejiciunt adversus illos, a quibus injuria ipsis facta est, persuadentes sibi, sine vindictæ odii-que studio inferri posse nullam. Utique id fieri potest, dummodo amorem, quem lædenti debent, in animum revocent, pœnamque unicum esse medium considerent, quo a se & aliis injuriæ metuendæ averti possunt.

## §. XXX.

*Quosnam punire liceat?*

Hinc porro prono quasi profluit alveo, lædentem non nisi in emendationem sui ipsius, & ad deterrendos alios puniendum esse, ut læsus aliique extra omne injuriarum periculum ponantur. At enim vero cum modo ii emendari queant, qui libere agunt; a pœna eximuntur, qui ea agendi libertate destituti sunt. Quam ob rem, qui mente captos, furiosos, somnolentos, & affectibus distractos; dum in statu illo offendunt §. VII, pœna aliqua afficeret, non in regulas sapientiæ solum impingeret, sed infensæ quoque animi imaginem haud obscuram nobis exhiberet. Non est quod objiciatur, aliorum rationem esse habendam, quibus janua quasi ad injurias impune committendas late aperiretur. Vult exemplaris pœna, ut qui lædentis similes sunt, ab injuria patranda deterreantur. Quum vero, qui non libere agunt, quasi morbo correpti, eo feruntur; nulla spes, nullus finis est vel emendationem, vel metum efficiendi. Cadit ergo pœna in eos tantum, qui libere  
C agen-



agendo obligationem suam aut culpa, aut dolo transgrediuntur §. VI. VIII. Quamquam ei, qui, non meditata alterius existimationis læsione, imprudenter & inconsideranter ei maculam adspargunt, jure aliquo a pœna eximendi videantur; non deest tamen periculum, ne vel idem in posterum ab ipsis fiat, vel dolo agere incipiant, videntes alterum patienter injuriam acceptam ferre; ut taceam eos, qui eadem ratione commoti data occasione audacter injuriari non erubescunt.

## §. XXXI.

*Quando lenioribus mediis opus sit?*

Quemadmodum autem ad urendum, & secandum, ipso Cicerone judicante *libr. I. de Offic. cap. XXXVIII*, sic & ad tale castigandi genus raro invitique veniamus, nec unquam, nisi necessàrio, si nulla reperietur alia medicina. Quo cum præcepto omni ex parte conveniunt leges naturæ, quæ duriora media rejiciunt, ubi leniora, immo lenissima effectum habent exoptatum §. XVI. Quamvis enim jus puniendi perfectum cum jure conjunctum sit, vi cogendi alterum, si obligationi suæ naturali satisfacere noluerit, §. VIII, quominus tamen puniens leniori & efficaciore medicina adhibita, violentis mediis abstineat, jusque illud, quod ipsi est perfectum, quasi deponat, quid est, quod impedit? Præclarum certe Terentianum illud, licet a Thrasone dictum: *Omnia prius experiri verbis, quam armis sapientem decet*. Quamobrem, si injuria, quam intendit lædens, arceri potest verbis amicis, non feria opus est dehortatione; si hæc sufficit, non opus est minis; si minæ sufficiunt, non recte vi propulsatur. §. 948. P. I. *J. N. Wolff*. Quoniam autem opus sit medio, prudentia, ususque suadet, cum exemplum aliorum interdum aliud, illudque gravius exposcat.

## §. XXXII.

*Quid in casu necessitatis agendum sit?*

Sed haud raro fit, ut adeo prælens nobis sit futuræ injuriæ periculum, quod ex præterita enascitur, ut nec verbis ad



ad persuadendum aptis, nec poena in civitate licita statim averti queat. Dignissimum est viro prudente, & legi naturali maxime congruens, discedere, fugaque sibi interim consulere §. 1010. P. I. I. N. W. ut perturbationes animi effugiamus, subinde exoriendas. Postquam autem sopita fuerit laedentis ira, videndum, quale medium suadeat prudentia, & temporis consulenda erit ratio, an durius leniori, vel inverso modo, huic illud praerendum sit, §. praec.

§. XXXIII.


*Quomodo sumenda sit poena?*

Cavendum denique, ne laesus in civitate, quamvis odium & vindictae cupidinem exuisse videatur, per se, seu immediate poenam, soli imperantis potestati relictam sumat. §. XI. Morem gerere debet legibus & institutis, quae ex imperio civili fluunt, quantum ex ratione cognoscuntur. Ita enim praecipit jus universale privatum. Quod praeter alia & hoc requirit, ut imperanti singulorum totiusque civitatis securitas demandetur, & jus ipsi sit, publicam ab iis sumendi poenam, qui cives civium perturbant salutem. Quare igitur, si laesus non, nisi poena laedenti illata, ex futurae injuria periculo elabi potest, §. X. lex naturae poscit, ut in sui & sociorum salutem imperantis civilis opem imploret, & vindictam publicam judici vel magistratui committat.

Atque ita ad finem perduxim, quae de Officiis laesi adversus injurias ex jure universali privato adducere valeo. Quod specimen, qualecunque sit, judicio Maecenatum atque Patronorum pia mente submitto.



*Ex.*



Nobilissimo, Politissimoque

Dissertationis Autori ac Respondenti

S. D. P.

P R A E S E S.

**P**etiisti a me, ut Tibi Praeses adessem, publice disputaturo. Solvo officium hoc, idque eo promptius, quo majora cognovi de candore animi Tui, de studiorum Tuorum industria, ingeniique Tui felicitate argumenta. Numeravi Te inter Auditores Musis meis amicissimos. Solertiam itaque Tuam, Tibi, Tuisque jure meritoque gratulor, voveoque, ut qua sedulitate campum litterarum ingressus es, ea quoque finias, eundemque conficias. Quod ad praesentes studiorum Tuorum primitias attinet, dissertatio haec proprio motu atque studio abs Te elaborata, atque edita profectus Tuos in juris studio haud vulgares, & diligentiam, qua pra multis inclaruisti, sufficienter comprobat, mihiq; materiam praebet, debitam virtutibus Tuis laudem publice etiam propalandi, Tibi ex animo gratulandi, & ut conatibus Tuis DEus ulterrius adesse velit, sincera mente precandi. Vale. Dab. e Museo d. XVIII. April. A. C. MDCCLXVIII.



ULB Halle

3

002 713 802



*56,*





20/17  
1768, 1

SPECIMEN JVRIS VNIVERSALIS PRIVATI  
DE  
OFFICIIS LAESI  
CIRCA INJVRIAS  
OBSERVANDIS

---

QVOD  
P R Æ S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE,  
DANIEL GRALATH, D.  
JVRIS UTR. ET HIST. PROF. PUBL. NEC NON  
ATHEN. INSPECTORE VIGILANTISSIMO  
IN AVDITORIO MAXIMO  
DIE V. MAJI. A. R. S. MDCCLXVIII.  
PUBLICE DEFENDET  
JONATHAN FRIDERICVS HELLER,  
ADVERSVS  
OPPONENTES JVRIS CVLTORES  
NATHAN. CONSTANTINVM SENDEL,  
JOHANNEM WILHELMVM WERNSDORFF,  
E T  
JOHANNEM JACOBVM HEVELKE.

---

GEDANI,  
TYPIS SCHREIBERIANIS.

